



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 50. Et calefaciens se. v. 18.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

flagrarem! quam beatum me dicerem? Domine qui potes omnia, da gratiam, ut toto semper corde ardeam tuo sancto amore & inardescam magis magisque indies ut totus ex eo consumar.

§. 49. *Erāt autem cum eis & Petrus stans. v. 18.*

Iam Petrus in aulam Pontificiam erat inductus ut deficiente Pontificatu veteris Test. esset ad manum capturus possessionem vacantis officij & honorum ei annexorū ac iurium. Sed iste novus aulicus in uno turpiter deliquit quod se non Dominis sed ministris aulae aggregavit ad prunas ubi solent sepius esse scurræ, nihil scientes de Deo nihil curantes de amore Dei, omnem suam felicitatem ponentes in carnalibus iocis, amore, & teram terrenarum affectu, & perversi, ita ut periculum sit ne Petrus ab eis pervertatur & frigidus fiat ut ipsi erant in amore Dei frigidi, imo ut penitus totus frige factus defecisset plane à Deo suo nisi eum postea benigne respexisset magister suus & ei animum reddidisset. Veruntamen in Annæ aula adhuc salvus evasit, quia nullam in ea negationem video nisi eam quam ostiariae dixit sat obscuram. *Non sum.* bene habet quod in ea non negavit quia discipulus bonus eum istuc introduxit.

Deus meus audivi à multis quod quando aliquis se non immisceat temere in negotia, sed quasi vocatur ad ea tractanda, quod tunc talē Deus maiore cura & providentia gubernet; & credo sane ita esse quia video Petrum Apostolum tuum in Annæ aula in quam introductus erat à discipulo suo noto Pontifici satis secunde agentem & vix negantem ea spe eie quæ necessitas involvat peccatum.

Oro igitur te Domine, ut gratiam istam des hominibus ne se temere in negotia immergant antequam vocentur.

§. 50. *Et calefaciens. v. 18.*

Dum ad ignem exteriorē accedit Petrus cum ministris, sensim in eo ignis interior charitatis deferveat; nam ibi mendacia audiebantur, iniuriis alter alterum famulorum lacebatur. ibi periuria, cachinationes, lasciva verba super numerum, colloquia prava cum ancillis & quorum auditu depravabantur mores honesti Petri, ut sui oblivisceretur & Domini. quapropter S. Maximus dicit, peccatum Petri & Adæ similitudinem quandam habere: utrobique Diabolus & vir & mulier illa Adamo, hæc Petro mortis ianuiam aperiens utraque instrumentum Diaboli ad fortes columnas everte ndas: illa per petitionem iniquam; hæc per interrogationem sacrilegam.

Domini

Domine quid dicam? proverbium est in terra nostra quod occasio facit
 turem, quasi diceremus etsi liberum arbitrium propriè loquendo est
 causa peccati quando deficit à bono, ad quod ordinatum est, æternita-
 men occasio tantam cum arbitrio iuncta vim habet in genere moris ut ip-
 sa videatur esse causa peccati, & ideo bene iudicat Ecclesia Catholica quod
 is qui proximas peccandi occasiones non vult vitare æquivalenter facit,
 ac si diceret, ipsum nolo peccatum vitare & consequenter bene præcipit
 peccatis non esse absolvendos qui istas occasiones vitare nolunt quia ve-
 vera ipsi ab eis recedere nolunt in tali casu. hoc cogito occasione Petri ad
 ignem stantis cum ministris, vnde brevi negatio Domini sequetur.

§. 51. Pontifex ergo interrogavit eum de discipulis suis. v. 19.

Evangelista nominat Annam Pontificem, sed quid hoc est? nonne
 iste erat Caiphas? etiam, an ergo duo Pontifices erant simul? variè hoc sol-
 vi potest, semel Pontifex accipitur pro Principe Sacerdotum uti Episco-
 pus, & semel pro capite seu Principe ipsorum Episcoporum. Iam sane est
 alterutro modo Annam dici Pontificem, aliter Pontifex semel & quidem
 absolute dicitur qui est propriè & verè talis & Pontifex cum addito dicitur
 qui talis esse videtur etsi iure non sit, & priore modo erat Annas Pon-
 tifex, posteriore Caiphas. sic solvi potest ista difficultas. iste igitur verus &
 legitimus Pontifex interrogavit Christum de discipulis suis, quorum iam
 aliquos saltem unum bene noverat & per illum haud dubie de Christo
 bene informatus erat & consequenter non adeo uti Caiphas intrusus
 erat.

Domine ut video, non solum passus es à magistratu tam civili quam Ec-
 clesiastico qui legitimus esset, sed etiam ab intruso, à quo si quod im-
 pender mali, multo miserabilius evenit & ægrius toleratur. Idcirco adoro
 tuam aheneam & insuperabilem patientiam, qua erga omnes istos magi-
 stratus usus es, tam legitimos quam intrusos & oro ut de illo patientia tua
 oceano rivuli quidam in me cæterosque Christianos emanent.

§. 52. Et de doctrina eius. v. 19.

Nihil adhuc mali in interrogatione Annæ depræhendo, poterat quæ-
 vis etiã privatus & Domino interrogare de discipulis item de doctrina eius
 discendi studio & modo convenienti, in loco & tempore opportunis po-
 test. Nec aliud hic video. Quid enim minus faceret Annas dum ad eum per-
 ducit cohors captivum, vel enim insidiosè Dominum captivum traxerat
 ad Annam abhorrentè, non nihil à Caiphæ processibus & attentatibus, vel eo
 modo